Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26117
Copyright: Admont, Benediktinerstift

32

criminum sic macerando extinguunt. Laquearia autem cypressina.
sunt monachi et omnes religiosi, quorum sanctitatis exempla templum
dei ornant, et aliorum omnia orando portant. Et sic cypressus preci-
sa non reuiuiscit, unde et ante feretrum mortuorum solebat porta-
ri, ita ipsi numquam secularia repetunt, quibus abrenuntiauerunt, et
semper quasi presentem mortem aspiciunt, et in habitaculum dei coedi-
ficari uotis et moribus appetunt. Vox sponsi. Ego hyst.
flos campi, et lilium conuallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica
mea inter filias. Ad litteram datur intelligi, quod lectus dilecti flo-
ribus semper fuerit, quorum odore et pulchritudine ipsa delectata
sit, quando dixit: lectulus noster floridus, et ipse blandiens ei ista
dixerit. Allegorice autem ecclesia perfectorum, que est lectus Christi, floribus cin- Alleg.
gitur, dum imperfectis in fide tantum floridis stipatur. In flore
namque non fructus, sed speratur futurus, ita imperfecti fidem habent, non opera,
quorum flos est Christus, scilicet per fidem illorum ornatus, qui dicit: Ego flos campi.
Quod est dicere: Quod lectulus noster est floridus in fidelibus, hoc est ex me, quia flos campi.
ego sum flos campi, id est ornatus christiani populi. Flos dicitur a fluore, quia cito
fluit. Campus est terra inarata et pascualis, sponte proferens flo-
res. Campus est tota ecclesia in fide incorrupta, in qua sunt pascua
uite, que profert uarios flores, id est diuersos iustorum ordines, scilicet rosas
martyrum, lilia uirginum, uiolas confessorum, et alios flores continen-
tium et legitime coniugatorum. Huius campi flos, id est decor, est Christus, or-
natus omnium fidelium. Flos campi proprie dicitur flos paruulus nimis ru-
bicundus, et est Christus humilis factus, proprio sanguine rubricatus. Campus
id est terra inarata, est uirgo inuiolata, cuius flos est Christus. quia